

subditorum Regnicolarum accedat, dum et quodocunque domini Bani in subsidium alicuius Arcis vel loci finitimi contra hostes gentes armatas levare voluerint, id iuxta constitutiones priores publicas fidelium Regnicolarum facere et gentes armatas in Arces et loca finitima locare possint et valeant.

Postremo, cum Judicia octavalia Regni a certis temporibus in Capitulo Zagrabiensi Celebrari solebant, Commodaque hospicia pro dominis et Nobilibus causantibus, Magistrisque prothonotariis ac procuratoribus, etiam cum Maxima difficultate dominorum Capitularium habere in Capitulo ipsorum possunt: videretur igitur Commodus locus huiusmodi celebrationis tam Judiciorum octavaliū, quam Brevium Judiciorum totius Comitatus Zagrabiensis Civitas haec Maiestatis Caesareae et Regiae Mons Graecensis Zagrabiensis, Accedente ad id gratiosa Confirmatione praesentis Articuli Sacratissimae Caesareae et Regiae Maiestatis Vestrae.

Supplicant praeterea status et ordines praescripti Sacrae Caesareae et Regiae Maiestati, domino Illorum clementissimo, humilime: Vt praescriptos Articulos, in eadem Congregatione Communibus ipsorum votis et pari ac vnanimi consensu conclusos, omniaque et singula in eis contenta, ratos, gratos, et Accepta habere, suumque Regium Consensum illis praebere, autoritate sua Regia clementer acceptare, approbare, et Confirmare, ac Statibus et ordinibus, fidelibus suis praescriptis, quam primum clementer remittere dignetur. Datum Zagrabiae, praescripta feria quinta ante praenotatam dominicam Ramis palmarum, primo scilicet die Congregationis praenotatae, Anno domini Millesimo quingentesimo Septuagesimo primo.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

1571. DIE 19. MAIL. PRAGAE.

Maximilianus Rex Articulos Dietae, A. 1571 mense Aprili Zagrabiae celebratae, confirmat.

Maximilianus Secundus, Dei gratia Electus Romanorum Imperator, Semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex etc.

Reverende, Spectabiles, Magnifici, Egregii, Nobiles, Prudentes, ac Circumspecti, fideles Nobis dilecti. Exhibuit nobis fidelis Noster Magnus Balthasar Tahy, Nuncius vester, Articulos, quos in proxima Dieta vestra, quinta die proxime elapsi mensis Aprilis, Zagrabiae celebrata, conclusistis. Quos quidem ubi intellexissemus, imprimis grato et clementi animo accepimus promptitudinem illam vestram, qua victualia pro confiniis contribuistis. Deinde quod ad reliquos articulos attinet, omnes eos ratos habemus et acceptos, excepto quod novam connumerationem vos admittere oportuisset, neque in hoc publicae constitutioni proxime celebratae Dietae Poseniensis contraire, quam tamen et ipsam nunc in suspenso relinquimus ad aliam vsque dicam, quae posthac primitus decernetur; Committentes vobis clementer, ut ea quae per vos decreta et conclusa sunt,